



# Dissertatio juridica inauguralis de consensu circa nuptias

<https://hdl.handle.net/1874/347227>

14.

D I S S E R T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E

**CONSENSU CIRCA NUPTIAS,**

Q U A M,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. HERMANNI van HALEN,**

S.S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Praeconis,

**N E C H N O N**

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

**P R O G R A D U D O C T O R A T U S**  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitime consequendis.

*Eruditorum examini submittit*  
**J O A N. E N G. v a n G E L D E R ,** Borculoæ-Gelrus  
*A. D. 19. Jun. hora locoque solitis,*



**T R A J E C T I ad R H E N U M ,**

*Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ic Lxxxix.*

*Celeberrimo, Consultissimo,  
Doctissimoque VIRO*

D. H E N R I C O  
C O C C E J O,  
J Cto. Juris Publici, legum-  
que Romanarum Professori  
in florentissimâ Trajectinâ  
Academiâ Ordinario, Præ-  
ceptor meo facillimo, mi-  
hique faventissimo.

*Hanc Dissertationem Juridicam  
Inauguralem*

Humillimè Offert

JOAN. ENG. van GELDER.  
*Auctor.*



DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
CONSENSU CIRCA  
NUPTIAS.

THESSI.



Uandoquidem nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium, *Nov. 140. in princ.* & sine eo nulla domus, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare diu potest, fert animus de matrimonio in praesentiâ quædam in medium proferre, non quidem omnia: quis enim foret differendi finis? sed tantum pauca de consensu circa Nuptias.

A 2

Ante-

4 DISSERTATIO JURIDICA

Antequam vero materiam ipsam aggrediamur, videndum primò occurrit, quid sit matrimonium. Illud igitur sic definitur in §. 1. *Inst. de Patr. pot.*

I I.

Nuptiæ sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens. Non dicitur hîc, viri & mulieris, in numero singulari, ad excludendam polygamiam simultaneam, quæ, et si nullo unquam jure, neque divino, *Lev. 18. v. 18.* neque civili *l. 18. C. ad l. Jul. de adult. l. 7. C. de Judæis.* fuit licita, per hæc verba tamen non excluditur. Nam quando quis duas uxores vel plures domi alit, non potest dici hoc unum esse matrimonium, cùm revera sint duo vel plura.

I I I.

Requisita justarum Nuptiarum cùm per quam varia, & nimis longum sit de singulis dicere, omissis reliquis omnibus, tantùm de primo & præcipuo Nuptiarum requisito, nemirum consensu contrahentium, & eorum in quorum potestate sunt contrahentes, in præsenti differere lubet.

IV. Sta-

## I. V.

Statuimus itaque in Nuptiis requiri ante omnia consensum Contrahentium, idque his rationibus: 1. Quia obligatio cohabitandi ex nuptiis nulla esse potest, nisi partium consensu; nihil enim est, quo fœmina huic potius viro, quam cuilibet alii obligetur ad individuam vitæ consuetudinem, quam quod in eum consenserit, & sic vice versa. 2. Quia ubi nullus est consensus, ibi nullus amor mutuus, nulla benevolentia mutua esse potest. Atque hæc est illa conjunctio utriusque quam definitione complexi sumus. 3. Per textus expressos in l. 2. D. de rit. Nupt. l. 12. C. eod. Quomodo autem hic consensus contrahentium declaretur nihil interest, sive stipulatione, si-  
ve alio modo inter præsentes vel absentes l. 1. &  
*seqq. ff. de rit. nupt.* sicuti & hoc nihil refert, an expressus consensus interveniat, an tacitus facto aliquo, puta nutu, cohabitatione, aut simili modo declaratus l. 24. *ff. de rit. nupt. arg.*  
l. 4. D. de pign. & hyp. proinde & mutum & surdum contraherere matrimonium posse tra-  
ditum est, si per certa quædam signa consen-  
sum suum exprimere, atque declarare valeant  
l. 76. *ff. de jur. dot.*

A 3

V.

## 6 DISSERTATIO JURIDICA

## V.

Consensum hunc omnino excludit error. Nam nihil est tam contrarium consensui , quam error. *arg. l.15. ff. de Jurisd.l. nihil consen-  
sui. 116. §. fin. ff. de Reg. Jur.* Error autem committitur vel in ipsâ personâ , vel non. In persona si erratum sit , certum est , non esse nuptias. Etsi autem in personâ ipsâ non sit erratum , adhuc tamen dupli modo , uti vulgò statuitur , erratum videri potest. Aut enim erratur circa matrimonii mera accidentalia , aut erratur circa matrimonii substantialia. Illi errores matrimonia non vitiant , hi verò maximè. Vel ut paulò plenius definiamus : Error extra personam vel nullo modo ad matrimonii rationem spectat , sed tantùm ad opes , formam , necessitudines personæ &c. atque eum errorem non vitiare nuptias extra litis aleam esse censeo. Vel verò ad ipsam matrimonii rationem effectusque spectare videtur ; & propter hujusmodi errorem nuptias , petente parte altera , erroremque suum , quem citra non contraxisset , allegante , resolvi posse sta-  
tuimus. Si quis igitur contrahat exempli gratia cum Gajâ , quam putabat esse Semproniam , ma-

mátrimonium hoc (quia in personâ est erratum) non valet, sed ipso jure nullum est, secus tamen est dicendum si in accidentalibus tantum sit erratum, veluti si quis contrahat cum deformi planè, quam honestâ & liberali formâ præditam esse putabat, vel si virgo sit Iri vel Ibyci filia, quæ putabatur esse Crassi vel Cræsi soror. Sed hæc sunt juris expediti.

## V. I.

In quæstione verò est, quid dicendum sit, si virgo per mendacia dixerit, se habere argenti pondus & auri, vel se esse Nobilissimâ stirpe creatam, cùm sit humili loco nata, atque ita induxerit juvenem ad contrahendum, qui alias eam non duxisset, si scivisset eam esse vilissimæ conditionis. Et puto cum Celeberrimo & nunquam satis laudato D. B. Sutholt & ex comm. DD. sententia, matrimonium hoc esse ipso jure nullum. Dolus enim iste virginis non debet prodeesse, & consensu matrimonium hoc destituitur. Vir enim tacitè non consensisse videtur, nisi sit illa dives, & nobilis.

## V. I. I.

Sed quia diximus errores accidentales matrimonia non vitiare, nisi dolus alterutrius causam

## 8 DISSERTATIO JURIDICA

sam dederit, incidimus h̄ic in nobilem, & nuperrimē in florentissimā hac Academiā sub præsidio Clarissimi Viri D. Henrici Cocceji, ex quo me multum profecisse hoc semestri lubens confiteor, à me agitatam defensamque quæstionem, nemp̄, an error in virginitate resolvat Nuptias? Et puto contra Wesenbecium *in parat. d. rit. Nupt. n. 8.* Alber. Gent. lib. 62. d. *Nuptiis*, cap. 13. pace tamen dissentientium, & salvo omnium judicio, matrimonium hoc posse rescindi parte petente. Nam i. esset iniquissimum ob tale vitium corporis matrimonium hoc non posse rescindi. Et ii. Imperator Leo in *Nov. 93.* (quæ quatenus juri non adversatur, & casum legibus non decisum continet, recipienda est) evidenter errorem in virginitate resolvere Nuptias statuit. Neque hanc Novellam tantum ad sponsalia, sed & ad matrimonia pertinere constat *ex vers. Nos igitur. in Verb. quo nihil magis matrimonio adversatur.* & in seqq. Atque hæc sententia quoque Juri divino non est contraria, sed planè consentanea, ut videre est *ex Deut. 22: 21.* Nec responderi cum nonnullis potest legem Mosis forensem nos non obligare. Primum enim

enim asserimus id non esse juris merè forensis seu Politici , sed fundamentum habere in ratione naturali. Deinde cùm quæstio tantum sit , an licitum sit dissolvi ideo matrimonia , patet utique à Deo ipso in sacris literis id permisum fuisse : cui permissioni divinæ saltem tamdiu standum est , quoad appareat manifestè aliâ lege id prohibitum. Plura qui de his scire desiderat , evolvat Christenium *de jur. matr. diff. 2. fol. mibi 154.* Et hæc mea opinio in foro quoque est recepta , uti testantur modo laudatus D. Christenius , & plures auctores partim ab eo allegati *d. l.* & ita judicatum esse in Hollandiâ intra duorum mensium spatum audio. Neque tamen dissimulo , hanc meam sententiam Juri Canonico adversari per textum expressum in *c. 1. in fin. quæst. 1. caus. 29.* verum illud inepta ac invalida hac hypothesi nititur , quod opus misericordiæ videatur.

## V I I I.

Hæc de errore dicta sunt , nunc autem de coactione nonnulla addemus. Dicimus itaque porro coactionem omnino etiam adversari naturæ Nuptiarum , & parentes liberos cogere non posse ullis remediis ad contrahendum ad-

B

mitti-

## 10 DISSERTATIO JURIDICA

mittimus ex comm. DD. opinione & arg.  
*l. 21. D. de rit. Nupt. l. 14. C. eod.* sed quæstio  
est anceps, an metus, non dico justus, sed  
reverentialis matrimonia vitiæt. Et putamus  
tantum meram vim & coactionem matrimo-  
nia vitiare, ita ut non opus sit restitutione in  
integrum, non autem metum reverentialem,  
arg. *l. 22. D. de rit. Nupt.* atque haec sententia  
à Celeberr. Vinnio ad pr. *Inst. de Nupt.* Sutholt  
*ad eundem locum Scotano ad tit. de rit. Nupt.*  
& pluribus auctoribus ab iis allegatis appro-  
batur.

## I X.

Hæc de primâ parte hujus dissertationis.  
Nunc autem secundam partem, nimirum de  
consensu illorum, in quorum potestate sunt  
coëuntes, paucis evolvemus. Statuimus ita-  
que porro, consensum illorum, in quorum  
potestate sunt contrahentes, etiam requiri, id-  
que his rationibus. 1. Quia liberi qui sunt in  
potestate & domo patris, nullum patri præ-  
judicium, nedum uxorem in ipsius domum  
adducere possunt; quod in emancipatis, qui  
propriam familiam exhibebant, secus est. 2. Ne  
parentibus invitis suus hæres agnascatur; Qui-  
bus

bus 3. accedit reverentia & obsequium naturæ lege parentibus debitum. Et 4. expressi textus, qui extant in l. 2. D. h. t. l. 12. C. eod. Sed diximus illorum consensum requiri, in quorum potestate sunt liberi, ut excludatur consensus quoque matris, qui jure civili in Nuptiis, cum liberos non habeat in potestate §. 10. *Inst. de Adopt.* non est necessarius, nisi forte si parens abierit illuc quo priores abierunt, l. 20. *C. de Nupt.* l. 4. *D. decur. fur.* Imo & puto patre defuncto ne quidem matris consensum requiri, sed tantum judicium, quod non est de necessitate. Ut recte animadvertis Triglandius *ad princ. Inst. de Nupt.* An vero juri divino haec sint consentanea, nostrum non est, sed Theologorum disquirere.

## X.

Sed gravis est quæstio, & acerrimè disputata ab interpr. an parentes. qui liberos in potestate habent, si consentire nolint, justas dissensus sui causas reddere teneantur, an vero sufficiat, si simpliciter consensum denegent. Quod communis Doctorum Schola negat. Affirmatur autem à D. Christenio aliquoties laudato, & nonnullis aliis, quibus & nos cal-

## 12 DISSERTATIO JURIDICA

culum nostrum adjicimus , & putamus , fal-  
tem jure Pandectarum , debere illos justas dis-  
sensus sui causas , si nullæ apparent , reddere per  
textum expressum in l. 19. D. de rit. Nupt. ubi  
hæc habentur verba : *Qui liberos, quos habent in  
in potestate, injuria prohibuerint ducere uxores,  
vel nubere: vel quia dotem dare non volunt, ex  
Constitutione Divorum Severi & Antonini per  
proconsules, præsidesque coguntur in matrimonium  
collocare, & dotare.* Atque hæc sententia ju-  
ri naturali quoque est conveniens. Quid enim  
si parens novercalibus delinimentis instigatio-  
nibusque corruptus sine ullâ causâ consentire  
nolit. Quid si virgo non habeat donum absti-  
nentiæ , & Parenti ipsam in matrimonium  
collocare non placeat? Nonne ipsa naturalis ra-  
tio dictitat , parentibus non esse consentien-  
dum , qui injuriam adversus liberos suos in-  
ducunt , nec malitiis hominum indulgendum?  
Et hæc sententia in praxi est recepta. Parentes  
enim hodie si liberi xxv. annis maiores sint ,  
tenantur dissensus sui causas reddere , ut vide-  
re est ex statutis urbis Daventriæ , part. 3.  
art. 9. tit. 1. & ex multis aliis , quorum cata-  
logum contexere hic longum foret.

XI. At

## X I.

At porro est in quæstione, quænam justæ causæ sunt. Tempus non solum nobis, sed & Typographo charta deficeret, si hic examissim denarrare institueremus omnium hac de re Doctorum opiniones. Nonnulli hanc asserunt esse causam. Nonnulli verò illam. Aliis rursum alia causa placet. Quid multa? Variis, ut plerumque solet fieri, dissident sententiis. At nos rejectis plerorumque Doctorum opinionibus assentimur D. Christenio, qui illud totum pii Magistratus arbitrio permittit. Et rētē. Nam cū in jure non reperiatur id decisum, quis hanc vel illam causam esse asserere potest? Legibus tacentibus nos quoque tacebimus. Erubescimus enim sine lege loqui.

## X I I.

In quæstione porro est, quid dicendum sit, si liberi sine parentum consensu nuptias contraxerint, & carnalis copula subsecuta fuerit, an matrimonium possit dissolvi? Et puto cum Duarenō ad tit. solut. matr. cap. de nupt. §. 2. matrimonium hoc posse dissolvi per l. II. de stat. hom. quod & juri divino consentaneum esse per Num. 30. v. 5. Exod. 22. v. 16. 17. sustinebimus.

## 14. DISSERTATIO JURIDICA

## X I M I.

Hic quoque moveri potest hæc quæstio, an si filius in primis nuptiis consensum patris impetraverit, in secundis nihilominus is adhuc necessarius sit? Quod etsi quibusdam negetur, nos tamen asserimus; cùm & lex in genere atque indistinctè requirat hunc consensum *princ. Inst. b. t. l. 12. C. de Nupt.* eademque sint patriæ potestatis de jure civili rationes. Nam nec inter easdem personas renovari Nuptiæ sine parentum consensu possunt *l. 18. ff. de rit. Nupt.* Si parens furiosus sit, matrimonium absque patris furiosi consensu contractum valet, *§. 1. Inst. de Nupt.* quia furiosi patris non dissensus habetur pro consensu *l. 25. C. eod.* ita tamen ut de dote aut donatione propter Nuptias, quam curator patris furiosi præstare tenet, æstimatio fiat à præside & nobilioribus in familia sine ulla impensis, per *d. l. 25. C. b. t. Scotan. in d. l. 25. Perez. in d. l. 25.*

## X I V.

Egregia quæstio hanc materiam spectans tractanda restat, nimirum an Ratihabitio patris confirmet retro Nuptias, an vero ex eo tantum

tum tempore quo accessit. Quod posterius de jure civili affirmamus; verum ne præter institutum excrescat dissertatio hæc ulterius nunc non attingimus.

A N N E X A.

I.

**A**dvocatus de cotâ litis cum cliente suo pacisci nequit.

I I.

Filio ex heredato patris testamento rectè tutor datur.

I I I.

Dantur antinomia Juris.

I V.

Vendor tenetur præcisè tradere rem venditam.

V. Fur-

V.

*Furtum jure naturali est prohibitum.*

V I.

*Negotiorum gestor tenetur de culpa le-  
vissimā.*

A X V I I . M A

*Major 17. annis potest esse procurator  
ad lites.*

F I N I S.

